

1529 Barulum præterea, & quæcumque in Neapolitano regno pos-  
sideret.

Tertio. Venetos bortaretur, ut ex Coniacensi fœdere Apu-  
liae loca Imperatoris potestati permitterent; ni id facerent,  
hostem se illis futurum; Cæsarem triginta aureorum millibus  
in singulos menses, duodecim triremibus, quatuor navibus, to-  
tidem majoribus navigiis adjuvaret.

Quarto. Quod e triremibus ad Delphini portum captis su-  
peresset, redderet, vel illius loco pecuniam reponeret, iis detra-  
ctis, quæ Cæsareani recepissent.

Quinto. Juri supremo in Belgio, & Artesia renunciaret.

Sexto. Acta adversus Carolum Borbonium rescinderet: de-  
functo, quæ inusta esset ignominiae nota, deleretur: bona po-  
steris restituuerentur; quæque eo bello occupata hinc, inde fo-  
rent, mutuo subjectis redderentur.

Inter foederatos, ac socios Pontifex in primis numerabatur;  
deinde Allobrogum Dux, ut imperii fiduciarius: de foedera-  
tis vero, qui simul adversus Cæsarem arma sumpserant, nul-  
la habita mentio. Venetis si intra quatuor menses res suas  
cum Cæsare componerent, ut eodem pacis editio comprehen-  
derentur, permisum. Firmata itaque pace, qua etiam Angliæ  
Rex, & Ferdinandus Austriæ Archidux Rex Hungariæ conti-  
nebantur, atque iis detectis, quæ diu latuerant, consiliis;  
quanam ratione Cæsari, si adversus Rempublicam arma mo-  
veret, obsistendum esset, plurimis, atque affiduis consultatio-  
nibus Patres disquirebant: ac præter ea, quæ ad continentis  
curam spectabant, visum est, ut Respublica maritimarum re-  
rum usu, atque experientia insignis, & pollens, in primis om-  
nem præsidii spem in classe poneret. Quamobrem illius im-  
peratori Senatus decreto mandatum, ut si Brundusii arces,  
quarum expugnationi operam navabat, bidui, vel tridui spa-  
tio aut deditio, aut vi in suam potestatem redigere possit,  
nulli communicato consilio, opus perficiat: deinde coactis  
eunctis triremibus, Corcyram contendat; inde ad Rhizoni-  
cum sinum ad Ascrivii fauces classem ducat, quam omnibus  
rebus instructam, remiges, milites, tormenta, ac si quid aliud,  
in promptu habeat; quo ex loco & sinum Adriaticum tueri  
possit, & maritimas Apuliæ, Neapolitanique regni oras bre-

Mandata  
Senatus ad  
classis Im-  
peratorem  
de Brundusii  
arcibus  
expugnan-  
dis.